

F. GRYGLEWICZ

DE OPERARIIS IN PALAESTINA CHRISTI DOMINI AETATE MERCEDE
CONDUCTIS

In numero proletariorum, qui terras imperio Romano subiectas incolebant, servi, libertini, homines liberi erant. Operarios autem, qui mercede operas suas conductoribus locarent, ex liberis hominibus fuisse constat. Cum mercennarii nec mendicantes nec fabri nec milites conducticii essent, tamen inter hos et illos haud multum differebant. Quod ita cum sit, ad quaestiones in opera et vita mercennariorum versantes ea testimonia, quae ad fabros aut milites conducticos pertinent, saepe adhibeantur oportet. Hae quaestiones, adhuc obiter tractatae, peculiarem dissertationem desiderant, propterea quod et temporis sunt nec non solutae, quid Christus Dominus et Christiani vitae mercennariorum liberorum contribuerint, in lucem proferent.

Facilius autem, quod est propositum, consequemur, si ostenderimus, quibus conditionibus operarii in singulis provinciis Romanis, ante omnia in Palaestina, Christi Domini temporibus opus fecerint ac vixerint. Quod facere nisi litterarum et rerum antiquarum, in primis legum morumque Palaestinorum et quadam ex parte papyrorum Aegyptiorum scientia adiuti non poterimus. Novum Testamentum legentes de mercennariis vel maxime parabolis de operariis in vinea et de filio prodigo docemur.

Romae, ubi egentes publice alebantur, numerus mercennariorum exiguis, in Italia extra Romam haud multo maior erat. Etiam in Graecia, ubi homines liberi egestate, praecipue in regionibus septentrionalibus, laborantes operam spreti servis exsequendam relinquebant, mercennarii pauci erant. Sed in Asia Minore, in Syria, in Mesopotamia, imprimis in Aegypto, operarios liberos invenires plures, quia in his terris propter paucitatem servorum homines liberi omnia negotia perficere cogebantur. Copia mercennariorum inde a medio saeculo a Chr. n. primo in omnibus provinciis Romanis per singulos annos crescebat, cum servorum numerus minueretur. Palaestina, Aegypto et Mesopotamiae Asiaeque Minori proxima, mercennariis abundabat.

Ut homines operam suam aliis locarent, egestas fere efficiebat. Ea, quibus s. Paulus ad operam suam locandam ducebatur, ab antiquis hominibus erant aliena. Vocabula, quibus operarii in Novo Testamento designantur, synonyma neque ad genera pactionum cum mercenariis initarum referenda sunt.

Locationem operae fuisse pactionem de labore diurno certa mercede sine scripto factam ex parabola de operariis in vinea cognoscimus. Quod pacisciendi genus papyris declaratur et Talmudo, ubi etiam casuum, quibus operantes intercidebant, mentiones inveniuntur. Huiusmodi pactio de labore inita ab utrisque, mercennariis et conductoribus, obligatoria putabatur. Qua pactione et operarii negotium suscipiebant et conductor, ut pactam mercedem, solveret, obligebar. Inde persuasio ista homines pervasit, ut Deus quoque benefactorum praemia summa iustitia tribuat. Hanc opinionem a s. Paulo impugnatam esse constat.

Mercedi solvendae afferebatur pondus. Praeceptum Veteris Testamenti, quo monebat, ut vespere uniuscuiusque diei merces redderetur, quod extra Palaestinam ignotum fuisse scimus, operariis magnae erat utilitati. Cum hoc praeceptum observaretur, mercennarii Palaestinenses meliore fortunae conditione utebantur quam qui in ceteris imperii Romani provinciis habitabant. Saepe tamen fiebat, ut merces apud conductores resideret, quod in Graecia et Aegypto atque in Palaestina accidisse comperimus. Sed in Palaestina breve spatium praescribebatur, quo debitam pecuniam, a conductoribus postularent. Si quis id facere neglexit, mercedem amisit. Quo facto mercennariis inferebatur iniuria, id quidem ex sententiis doctorum, quae haud secus ac Mosis leges obligeant. Operarii Aegyptii, quotiens eis haec iniuria facta erat, pactionem ultiro violantes laborem intermittebant, nonnumquam etiam aliud domicilium petebant, id quod in Palaestina usu venisse videtur.

Onus operariorum eo gravius erat, quod aestum tolerabant et magnitudine negotii laborabant. Nam illi per totum diem, qui pro anni tempore minimum decem, maximum quattuordecem semis fere horarum erat, operarii et magnum nec ulla re finitum pensum ne minima quidem quiete data absolvere cogebantur. Multis feriis cum Romae et in Graecia, tum in Palaestina operarii negotiis quidem vacui erant, sed et mercede carebant. Raro usu veniebat, ut noctu negotium fieret. De operariorum principibus aut collegiis in Palaestina nihil comperimus; quae in ceteris provinciis Romanis fuisse scimus.

In Palaestina praeter mercedem cibaria operarii accipiebant, quibus inter laborem vescebantur. Licebat eis etiam fruges, in quibus erant occupati, edere.

Magnitudo mercedis, de qua testiomniis variarum imperii Romani provinciarum docemur, ex multis nobis ignotis, interdum fortuitis rebus pendebat. Quam cum pretiis necessariorum cibariorum et ipsis modo maioribus modo minoribus comparaverimus, mercennarios ea, quae ad victimum familiarum suarum suppeditarent, parare non potuisse intellegemus. Quaestus enim eorum parvi, impensae magnae erant. Itaque uxores et liberi operariorum, ne inopiam tolerarent, operam suam locare cogebantur.

Illud mercennariis erat molestissimum, quod continuo negotio carebant, et propter feriarum multitudinem expensa acceptis pensare non poterant.

In Palaestina mercennarii minus commode in operas mittebantur, quia servi liberis operariis praeponebantur. Quam ob rem operarii Palaestinenses ne parvam quidem mercedem repudiabant, dummodo operam retinerent. Quae cum ita fuerint, non miramur, si Palaestinensium opera carentium mentiones nanciscimur.

Magistratus veriti, ne operarii negotio carentes tumultum civitati inicerent, curabant, ut eis et opera et quaestus esset. At non intellegas, cur primo identidem motus, deinde seditio contra Romanos sit orta, si operarios illis interfuisse neges.

Haec fere conditiones vitae et laboris mercennariorum erant, cum Christus Dominus et apostoli doctrinam suam praedicari coeperunt. Illa aetate operarii a nobilibus Romanis et Graecis despecti, apud fabros tamen in honore erant. Docti viri Iudaici in Palaestina, quo modo ei, qui operam suam victus quaerendi causa locabant, sibi sint tractandi, ambigebant. Christus Dominus autem, cum in publicum processisset, mercennarios animadvertisit et attendebat. Cui rei argumento est, quod doctrinam suam parabolis ex vita operariorum sumptis illustrabat, eos ipse alloquebatur, ex iis nonnullos apostolos elegit, cum operis eorum operas apostolorum comparabat. Comparationes S. Pauli doctrinam Christi Domini explicant ac supplent. Quod Christo Domino operarii curae fuerunt nec s. Paulus conditionen eorum inhonestam esse putavit, id novum sane erat et inter ea numerandum est, quibus religio Christiana cultum atque humanitatem antiquorum Graecorum et Romanorum locupletavit. Novum Testamentum, cum quaedam de vitae et laboris conditionibus mercennariorum docet, benevolentiam Christi Domini in operarios declarat, mentionem de nimio onere eorum et necessitate quietis, operantibus dandae facit, acribus verbis, ut eis debita merces solvatur, monet. Quodsi reputaverimus, quibus conditionibus mercennarii Christi Domini aetate vixerint et laboraverint, praecepta Novi Testamenti commodis utilitatique operariorum servisse facile intellegemus.